

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
MODO AGENDI MEDICAMENTORVM  
IN CORPORE VIVO ANIMALI

---

QVAM  
CONSENTIENTE  
GRATIOSO MEDICORVM ORDINE  
IN STVDIORVM VNIVERSITATE ALTORFINA  
PRO  
GRADV DOCTORIS MEDICINAE  
ET CHIRVRGIAE  
RITE CONSEQUENDO

DIE XVI IVLII MDCCCLXXXVIII

PUBLICE DEFENDET

IOANNES CHRISTIANVS KORNACHER  
SVINFVRTENSIS

---

ALTORFII  
EX OFFICINA IOANNIS PAVLI MEYERI  
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

K. V.  
342.

Mcd. II. 342

<sup>2</sup>Be

1372 47801

SACRI ROMANI IMPERII  
LIBERAЕ AC INCLYTAЕ  
CIVITATIS SVINFVRTENSIS  
SPLENDIDISSIMO AC AMPLISSIMO  
SENATVI  
VIRIS MAGNIFICIS  
MAXIME STRENVIS EXCELLENTISSIMIS PRVDENTISSIMIS  
CONSVLTISSIMIS AC GRAVISSIMIS  
DOMINIS  
PRAETORI  
CONSVLIBVS  
SYNDICIS  
SCABINIS  
AC RELIQVIS  
SENATORIBVS

PATRIA E P A T R I B V S  
SALVTIS PVBLICAE  
C V S T O D I B V S  
P A T R O N I S S V I S  
PIETATIS CVLTV MAXIMO AD CINERES VSQVE  
DEVENERANDIS  
OB MVLTA MAGNAQVE IN SE COLLATA MERITA  
HANC  
DISPV TATIONEM I N A V G V R A L E M  
CVM PERPETVAE FELICITATIS VOTO  
CONSECRAT  
AVCTOR.

S

---

PRO O E M I V M.

Dissertationem inauguralem scripturo de medicinali quadam materia attentionem maxime movere mihi, quae post immortales HALLERI labores de vi vitali scriptores philosophi et medici proposuerunt. Iis enim fere evictum est atque demonstratum, corpus nostrum non mechanicis legibus solummodo regi flectique; sed vires ipsi inesse, et a materia quidem, ex mea sententia, natas et per eam praesentes, quae vitam ac omnia ejus phaenomena determinant. Multa quidem recentiores scriptores de hac vitali corporis nostri virtute protulerunt, ac in diversas partes transferunt, ut facile pateat, naturam caussamque ejus virtutis nondum ita esse demonstratam, ut nullam dubitationem admittat; maximo vero cum successu in hoc argumento elaboravit REILIVS, *Vir Ill.*, quem in priore parte disputationis meae maxime secutus sum; cum enim medicamenta in vivo corpore tantum agere possint, necesse est, ut vitalem ejus virtutem varie permutent, eaque mutatione facta, effectus, qui in sensu cadunt, edant.

---

A

SECT.

S E C T I O P R I M A  
DE  
MODO AGENDI MEDICAMENTORVM IN VIVO  
CORPORE ANIMALI.

§. I.

QVID SINT MORBI EORVMQUE CAUSSAE.

**V**t a certis principiis progrediamur, in exquirendo modo agendi medicamentorum in corpore animato, ante omnia explicandum est, quid sint morbi, ac quinam conceptus de eorum causis formandus sit.

Aliquot theses a me nunc praemittendae, quarum jam plures *Ill. REIL*, praecipue in libro, qui inscriptus est: *Archiv für die Physiologie etc. proposuit* \*), solutionem hujus quaestionis admodum quidem difficilis, at gravissimae, facilem mihi reddent.

Caußam omnium phaenomenorum, si ea tanquam objecta sensus externi et interni contemplamur, vel in materia, vel in animi repraesentationibus invenimus.

Morbi itaque, qui sunt phaenomena corporum animatorum, vel in materia, vel in animi repraesentationibus caußam suam ut habeant, necesse est.

In tollendis morbis e prima cauſa ortis proprie occupatus est medicus, in sensu strictiori ita dictus, et de hisce hoc loco lo-

quimur;

\*) Vid. lib. cit. *Bd. I. St. I.*

quimur; etenim ad eos morbos curandos, qui e posteriori caussa originem habent, ( $\tau\alpha\pi\alpha\theta\eta\mu\alpha\tau\alpha\tau\eta\psi\chi\eta\varsigma$ ) philosophus, aut potius psychologus animum intendit; non autem medicus, qua talis.

Materia vero, quae *eandem* semper formam et mixturam habet, *eosdem* quoque effectus semper producit; alii vero effectus oriuntur, ubi mutata materiae mixtura est.

Inde sequitur in omnibus morbis materiam corporis animalis esse mutatam.

Si enim materia in corpore quodam ita mixta et formata est, uti in eo mixta et formata esse debet, i.e. si in corpore partes, seu elementa organorum illius, inter se concordant, vel si (quod, uti infra patebit, unum idemque est) vis vitalis unius organi vitalibus dotibus alterius organi respondet, corpus sanum esse dicimus. Contrarius status morbus vocatur.

Mutationem materiae semper stimulus in sensu latiori, vel externus, vel internus, antecedere debet.

Morbi (quinam intelligentur, supra dictum est) nascuntur, cum interveniente stimulus aliquo status naturalis formae et mixturae in materia organorum mutationem quandam passus est.

Relatio (*Verhältniss*) phaenomenorum ad materiae qualitates, per quas illa producuntur, dicitur *vis*.

Vis animati corporis igitur nihil aliud est, (tum certe, si ejus notionem ad objecta referimus) quam id, quod materiae inheret, seu, ut ita dicam, quod ex materia resultat.

Materia igitur mutata, etiam qualitas (vis) ejus mutetur necesse est.

Omnes vero morbos humani corporis, iis exceptis, qui in animi representationibus origines habent, caussam in vitiosa for-

ma et mixtura materiae organorum habere intelligitur; et cum hanc mutationem in materiae mixtura semper mutatae vires sequantur: proximam morborum caussam in vi corporis (quae vis vitalis vocatur,) mutata quaerere possumus.

### §. II.

#### DIVISIO MORBORVM IN GENERE.

Omnes morbos in genere in duas classes dividi posse, jam a me notatum est. Alii nempe ex animi representationibus, alii ex materia nascuntur. Ceterum gradus numerusque posterioris morborum generis cum ea, quae in materia locum habere potest, mutatione, et quam materia, quoad formam et mixturam suam subire potest, aequalem proportionem ut habeat, necesse est; ideoque tot morbos cogitare posse appetet, quot materia modificationes accipere \*) potest.

Morborum vero corporis humani naturam numerumque accurate neutiquam definire possumus, nisi natura et indole organicae materiae, post iterata pericula chemicorum atque physicorum, diligentius ac ita examinata, ut inde, quae ad praxin adjuvandam facere possint, derivare valeamus.

Hinc factum est, ut nonnulli physiologi, qui elementa corporis nostri distinctius nosse quam maxime necessarium esse sentiebant, varias ea de re sententias proposuerint.

Sic

\*) Mutatio materiae quidem cogitari potest tam parva, ut phaenomena naturae contraria ab ea prorsus non producantur, imo contendere velim, necessarium semper esse ad morbos eos producendos, qui nobis in sensus cadunt, fortiorum materiae in organismis mutationem. Sed, si rem philosophice expendimus, quaelibet materiae praeter naturam mutatio dicitur morbus, etiamsi illius effectum, phaenomenon nempe morbosum, nostris sensibus non percipiamus.

Sic e. g. alii principium carbonis \*), alii principium oxygenuum \*\*), alii alia adhuc principia primarias partes seu elementa \*\*\*) fibrae organicae esse putant; alii contra ea se illius elementa ignorare \*\*\*\*) ingenue fatentur.

Ceterum jam id affirmare licet, non duos reperiri morbos plene identicos; quia in diversis individuis materia neutiquam identice mixta et formata esse potest.

Itaque nobis non mirum videbitur, cum omnes divisiones, in quas in posterum morbos diducere forsitan medicis placuerit, mancas esse et imperfectas intelligatur.

### §. III.

#### FINIS ET NOTIO MEDICAMENTORVM.

Licet finis, ad quem in medicamentis adhibendis adspiramus, cuiilibet facile in oculos incurrat: tamen connexionis saltim causa paucula de illo praemittere operaे pretium videtur.

Efficere autem studemus medicamentorum usu in corpore vivo animali, ut phaenomena naturae contraria, quibus morborum nomen imponimus, aut in naturalia permittentur penitus, aut saltim id molimur, ut ea phaenomena, quae naturae contraria sunt, ad sanitatis normam proprius accendant.

A 3

Hoc

\*) Cel. BRANDIS *Versuch über die Lebenskraft*, §. 4.

\*\*) Cel. GIRTANNER, Cf. ILL. GRENNI *Journal der Physik*, 1791. Bd.II. S. 507.

\*\*\*) Omnia argumenta, quibus tale vis vitalis principium adesse probatur, Cel. PFAFF optime collegit atque congeslit in libro, qui inscriptus est: *Veber die thierische Elektricität und Reizbarkeit. Leipzig, 1795.*

\*\*\*\*) Cf. ILL. REILII, lib. cit.

Hoc autem alia ratione fieri non potest, nisi ea, qua materia organica mutata praeter naturam in statum naturalem permittetur, aut saltim efficiatur, ut ea proprius ad illum naturae statum accedat.

Id cum fit, materiae qualitas, (ut superius a nobis expositum est) seu vis ejus mutatur.

Proximus itaque finis, quem in medicamentis adhibendis medicus sibi propositum habet, is est, ut vis vitalis corporis animati illorum usu mutetur.

Omne id ergo vocamus medicamentum in sensu latiori, quod, actione stimuli ab eo nati, formam et mixturam materiae, (quod vel adjectis vel detractis particulis effici a vero minime abhorret) ideoque etiam vim ejus mutare valet. Inde etiam apparet, qua ratione morbi per imaginationis vim remediis sympatheticis aliisque currentur. Irritamentum nempe, (internum) per fortēm imaginationem excitatum, formam et mixturam materiae mutat, cuius forsitan particulae ab uno ad aliud organon deferuntur.

#### §. IV.

##### MODVS AGENDI MEDICAMENTORVM IN GENERE.

Patet ex hactenus dictis, morbos a vi vitali corporis dependere, medicumque in morborum curatione efficere debere, ut ea vis alio modo agat, eo nempe, quo egerat sanitate persistente. Cum vero, (quod etiam supra demonstravimus,) ea vitalis virtus corporis animati a sola materiae mixtura procedat, medicum, qui morbis medelam ferre vult, mutationem in materia efficere debere patet.

Quae-

Quaestio vero nunc oritur momenti maximi, nempe: quam ratione medicamenta in materiam animatam agant?

Eam vero rationem, qua medicamenta in materiam animatam agant, ut jam dictum est, a priori non aliter nobis cogitare possumus, quam materiae mutandae particulas, vel mediate, vel immediate, addendas aut detrahendas esse; ideoque omnia medicamenta modo physico-chemico operari.

Si mihi oponas, quaedam medicamenta vim suam exercere posse mechanice, concedo quidem hoc in multis externis et forsitan etiam nonnullis in internis medicamentis valere; contendo vero etiam, organicam materiam ab irritamento mechanico qualicunque, iactu, compressione, diduclione, laceratione, caet. nihilo minus mutationem, si non alio modo, certe quoad formam experiri. — Hinc unum idemque esse mihi videtur, utrum hanc agendi rationem appellemus mechanicam, an mediate physico-chemicam.

### §. V.

#### HYPOTHESIS HAHNEMANNIANA DE MODO AGENDI MEDICAMENTORVM.

Ex *Ill. HAHNEMANNI* sententia \*) medicamentum tum demum morbum sanat, cum illud, majori dosi sumptum, in sano corporis statu similem morbum producere valet.

Putat is Celeberrimus Vir, quo major similitudo inter utrumque morbum intercedat, eo certius effectum salutarem a medicamento

\*) Vid. *Ill. HVFFELANDII Journal der praktischen Heilkunde und Wundarzneykunst*, B. II. St. III. Seit. 391.

mento posse exspectari, quod tales morbum artificiale producere possit.

Finem in adhibendo medicamento quoconque hunc esse debere existimat, ut illius vi morbus \*) morbo jam existenti similis producatur.

Corticem Peruvianum febrem tantum hac ex causa tollere existimat, quia majori copia sumptus in fano corporis statu febrem \*\*) excitet.

Millefolium tantum hac ex causa haemorrhagias sedare, quia integro et incolumi corpore acceptum illas concitet.

Ad theoriam suam confirmandam plura adhuc in medium profert medicaminum exempla, quibus hanc gravissimi momenti quaestionem ita solvisse sibi videtur, ut dubitationi locus non amplius relictus esse videri possit.

Sententiam a medicis fere omnibus comprobatam impugnat:  
Contraria contrariis curantur.

Hanc per contraria curationem vocat iter devium, quod omnes, qui in eo procedant, a meta proposta abducatur hortaturque medicos sedulo, ut hac trita haec tenus via relicta eam eligant, in eaque procedant, in qua ipse primus feliciter processerit.

#### §. VI.

\*) Loquitur praecipue de morbis chronicis aut acutis ad chronicos proprius accedentibus.

\*\*) *III. HAHNEMANN* ipse sentire videtur, suam theoriam non omnibus casibus accommodari posse. Corticem Peruvianum scilicet non in quovis subjecto febrem excitat posse, hinc verbis expressis ipse declarat: „illum majori dosi sumptum in subjectis, quae facile commoventur (*bey empfindlichen*) eti sanis, verum paroxysmum febrilem excitat.“ Cf. *III. HVFELANDII lib. c. Bd. II. St. IV.*

## §. VI.

## HAEC HYPOTHESIS EXAMINATVR.

Quam HAHNEMANNI, *Vir*; *Ill.*, sententiam §. V. expositam ad severius examen revocare cum instituo, non velim, ut harum rerum periti viri judicent, me contra tantum ac tam praeclarum virum, de cuius meritis in salutarem scientiam omnes consentiunt, quaedam dicturum esse, motum solo contradicendi studio; quod sane eo facilius fieri posset, quoniam ea de actione medicamentorum sententia, evulgata jam ante annum, et quod excurrit, a nemine tamen, quantum scio, impugnata est.

Verum, si animo expendo, eruditissimos et acutissimos quoque viros ab erroris periculo non esse exemptos, et veritatem eam esse debere metam, ad quam omnes tendere oporteat; si deinde reproto mecum, in nulla alia disciplina fere errorem perniciosorem esse, quam in medicina, praesertim in argumento tam gravi, quale est modus medicaminum agendi: non dubito, quin, dubitationibus meis contra hanc hypothesin modeste expositis, medici me doctiores atque exercitatores eam ad severius examen sint revocaturi.

Princeps *Ill.* HAHNEMANNI propositio: *medicamentum tum demum morbum sanare, cum illud, majori dosi sumptum, in sano corporis statu similem morbum producere valet*, non tam universalis esse mihi videtur, ut de ejus veritate subinde non dubitari posse existimandum sit. Etenim, quod interdum accidit, non de omnibus casibus valet.

Millefolium nonnullas haemorrhagias sedare non nego; (non omnes autem sedat chronicas haemorrhagias, quae est HAHNEMANNI sententia: nam fieri potest, ut chronica sanguinis profluvia ex irritabilitate praeternaturali origines habeant, utque a millefolio

devorato exacerbantur. Sed tantum sedat sanguinis profusiones ab atonia profectas, sive sic dicta passiva sanguinis profluvia: activa vero ejus usū augentur) in aliis vero subjectis idem medicamentum sanguinis profusiones excitat, quod ab ejus virtute robore pendet.

Millefolium nempe, uti jam dixi, roborat, actionem partium solidarum auget; ideoque sanguinis profluvia ex organorum atonia orta cohibet. Cohibet scilicet omnia ista sanguinis profluvia, quae nascuntur, ubi aequa continentium actio in contenta minuta est, sanguisque ea de causa profluit, quod reactionem vasorum, vel mechanicam, vel vitalem, vel utramque, minorem, quam esse debet secundum naturae leges, experitur. Millefolium hoc in casu aucta reactionis virtute in vasis praeter naturam relaxatis, restitutaque aequa actione inter continentia ac contenta, sanguinis fluorem minuet tolletque.

Quodsi autem quis millefolio in haemorrhagia, a nimia actione vasorum orta, uteretur, eam sane non tolleret, sed potius, aucta causa, quae eam produxit, per millefolium datum augeret gravioremque redderet. Imo, in subjectis nondum quidem haemorrhagia laborantibus, at corpore admodum irritabili praeditis, sola major millefolii dosis, tanquam causa excitans, sanguinis profluvium concitare poterit; hoc autem in corpore relaxato locum habere nequit, etiam si major millefolii dosis devoratur, certe non, nisi sublata atonia, quo facto usus hujus medicamenti adhuc continuandus foret.

Igitur, quia millefolium quidem *interdum* haemorrhagias excitat, et quidem *quasdam* earum, sed *neutiquam* omnes sanat, propositionem Hahnemannianam de medicamentorum actione non universalē esse colligo.

Idem

Idem quoque de cortice Peruviano valet, et de omnibus reliquis medicamentis ab *Ill. HAHNEMANNO* citatis, quae, ob pagellarum angustias silentio praetereo.

Caeterum ex hac *Ill. HAHNEMANNI* hypothesi, sine ulla limitatione stabilita, multa mira nec ullo usu comprobata consequuntur. Sic e. c. ex immodico usu pinguium ciborum facile digestionis difficultas oritur, quae etiam ab intemperanti usu alimentorum duriorum e farina compositorum coaditorumque producitur.

Sin itaque indigestioni ex usu durorum ac pinguium ciborum ortae ex hypothesi Hahnemanniana mederi velis: nullum melius remedium tibi commendari posset, quam duriorum e farina compositorum alimentorum usus. Etenim hi cibi a sano corpore devorati morbum producere possunt, morbo existenti similem.

Itaque, uti ego quidem opinor, hypothesis Hahnemanniana videtur notatu quidem digna esse; sed non mereri, ut tanquam principium, cui aliae superstruantur consequentiae, proponatur \*).

Quibus ex omnibus dictis porro fluit, principium: *contraria contrariis curantur*, semper verum esse.

Lubenter quidem concedo, medicum interdum v. g. atoniam deprehendere sibi videri posse, ubi nulla est, quo in casu, si statum atoniae contrarium producere studet, morbus non tollitur, sed potius crescit.

## B 2

## Verum

\* Neque nova est. Eam primum proposuit, applicatione quoque facta ad animi morbos quosdam, et quidem eadem plane, quam *Ill. HAHNEMANNVS* proposuit, Illustris STOERCKIVS in libro de datura stramonio, hyoscyamo et aconito. Vtior versione germanica: ANT. STOERCK'S Abb. v. dem sichern Gebrauch und der Nutzbarkeit des Stechapfels, des Bilsenkrauts und des Eisenhüttens. Aus d. Lat. von S. Schinz. Turic. 1763. 8.

Verum culpa tum ad medicum minus recte observantem,  
non ad thesin allatam conferenda est.

### §. VII.

#### DIVISIO MEDICAMENTORVM GENERATIM QVOAD AGENDI RATIONEM.

Interim, et si ex supra jam dictis scimus, omnia medicamenta tantum ita agere, ut vim corporis vitalem physico - chemice mutent; inde tamen adhuc parum lucri in medicinam practicam redundat, nisi omnes adhuc cognitas medicamentorum classes ad ea, quae diximus, applicemus, ut cognoscamus, num, quod theoria docuerit, praxis quoque comprobet.

Itaque inquirendum esse videtur, num experientia magistra edoceamur, omnibus medicamentis vim vitalem vel exaltari vel deprimi.

Etsi ex mea sententia et theoretice et practice verum sit, omnia medicamenta in has duas classes dividi posse: ars tamen practica facilior reddi videtur, cum haec thesis non tam generaliter exprimitur.

Rem totam, subdivisionibus factis, medicus practicus melius dijudicare ac perspicere poterit.

Hoc consilio igitur vis vitalis adhuc curatius explicari et singulariter deduci deberet.

Quod si fieri debet, maxime mihi ea virium corporis nostri divisio arridet, quam nonnulli medici dederunt:

- 1.) Mortuae vel mechanicae vires corporis, eae nempe, quas etiam in natura inanimata deprehendimus e. g. vis ad resistendum, vis cohaesionis etc.

2.) Vis

2.) Vis vitalis corporis, ea scilicet, quae mere organicae naturae animatae propria est, e. g. irritabilitas, etc.

Attamen, uti jam dixi, propterea, quod effectus vis corporis organici ab effectibus virium naturae inanimatae diversi sunt, medici utramque vim conjunxerunt, atque hunc omnium virium complexum communi vis vitalis nomine comprehenderunt.

Sed nihilominus non negandum est, nonnulla remedia in animata corpora organica eodem fere modo, quo in naturam inanimatam agere.

Effectus medicamentorum adstringentium in corpore animato humano effectui, quem in corporibus inanimatis producunt, quam maxime est similis. Credo v. g. cortice querno coria ita condensare et adstringere potest, uti medici ejusdem corticis, vel corticis Peruviani usu partes adhuc vivas adstringunt, et, ut ita dicam, subigunt.

Sin igitur hanc divisionem assumere velimus, hae omnium medicamentorum classes constituendae forent:

I.) medicamenta, in mechanicis dotibus effectum producentia,  
a) illas adstringentia, b) relaxantia;

II.) medicamenta, in vi vitali effectum producentia,  
a) vel exaltando, b) vel deprimendo.

Sed notandum est, medicum practicum hasce vires non a se invicem ita in corpore vivo separatas cogitare debere, uti in systmate ab eruditis separantur, eumque nunquam in solas mechanicas vires agere posse, nisi simul vis vitalis afficiatur, et vice versa.

Sed, quia nimis prolixum foret, materiam, de qua loquor, secundum hanc virium divisionem persequi: ego tantum genera-

liora persequar, statuendo, omnia medicamenta vim vitalem (sub qua totum complexum omnium dotum et mechanicarum et vita- lium intelligo) vel minuere, vel augere.

Et nunc in sectione posteriori hujus dissertationis dispiciemus, num omnes classes remediorum, de quibus in materia medica exponitur, e. g. nutritionem adjuvantum, resolventium, catharticorum, vomitoriorum, diaphoreticorum, diureticorum, anthelminticorum, emmenagogorum etc. ad hanc generaliorem divisionem reduci possint.

Quia autem omnia remediorum genera enumerare nimis longum foret, deligam saltem illustrationem medicamentorum nutritionem adjuvantum.

## SECTIO ALTERA.

### §. VIII.

#### MEDICAMENTA NUTRITIONEM ADJUVANTIA.

**I**nterdum fit, ut corpus animatum, et si alimentorum copia abundet, tamen non bene nutriatur.

Caussae hujus mali diversae sunt, et remedia illi tollendo idonea dicuntur *medicamenta nutritionem adjuvantia*, quae non cum ali- mentis ipsis confundenda sunt.

Plures

Plures sunt caussae, quae, licet alimenti copia suppetat, nutritionem intercipere possunt; omnes vero ad has duas classes redeunt:

- 1.) ad tales caussas, quae efficiunt, ut multum vis, ideoque etiam plus materiae consumatur, quam additamento extrinsecus adveniente, praecipue alimentis, generari \*) possit.
- 2.) ad tales caussas, quae efficiunt, ut vel functio digestionis vel chylificationis impediatur, adeo, ut alimenta parum utilitatis ad restituendum id, quod corpori detrahitur, adferant.

### §. IX.

#### CAVSSAE PRIMAE CLASSIS.

**Caussas prioris classis nunc recensebo.**

Si vis maiore quantitate, quam per sanitatem licet, consumitur, materia corporis minuitur, et corpus non tantum additamenti accipit, quanto opus est \*\*).

Nam experientia docet, eos homines vel ea animantia, quae vim suam continuis laboribus, motu corporis, caet. consumunt, vietus etiam quam maxime nutrientis copia suppetente, raro saginari. Eaque caussa est, quae efficit, ut homines, vel animantia ea, quae muscularē vim continuo ac laborioso motu exercent, appetitu ciborum gaudeant magno, ac longe plus alimenti hauriant, quam cum in contrario statu existunt.

Corpus enim eorum particulas amissas additamento externo restituere studet; sed nihilominus non pinguescunt.

In

\*) Cf. CL. BRANDIS *Versuch über die Lebenskraft.* §. 16.

\*\*) Vid. CL. BRANDIS i. c.

In eis vero corporibus, in quibus debilior est muscularum motus, contrarium locum habet.

Inde explicari potest, cur homines, qui a quacunque causa, seu physica, seu morali, facile commoventur, et si bene concoquunt, tamen macilenti sint; cur ii, quibus est phantasia vivida ac luxurians, cur, qui amoris affectu aut alio quocunque, in primis tali, qui cum desiderio vehementi objecti cuiusdam est conjunctus, tenentur, tam pallidi et tenues sint.

Inde vero etiam intelligi potest, cur corpora, in quibus vis parva quantitate consumuntur, plerumque crassiora sint ac speciosiorem corporis habitum habeant. Etenim in animalibus omnibus adipis copia eadem proportione cumulatur, quo minore ac tardiore motu voluntario utuntur, ac quo magis quiescunt.

Hinc etiam oeconomos non fugit, animalibus saginandis quietem esse concedendam.

Vbi itaque medicus arte sua vult efficere, ut corpus magis nutritur, cui alimenta idonea atque nutritioni apta non defunt, et in quo marcor a vi nimis consumpta mere ortus est: finem sibi propositum vel sic consequetur, ut stimulum e medio tollat, vel ut corporis dispositionem ad stimulos admittendos imminuere aut prorsus tollere studeat.

Si necesse est, ut stimulus auferatur, modus stimuli ipse, quibus medicamentis amovendus sit, medicum docebit. Vbi v.g. incitabilitas lucis vi admodum augetur, corpus in loco tenebrioso servandum est.

Eam ob caussam medici aegrotos febribus inflammatoriis laborantes luci non exponunt, ne vim vitalem jamjam auctam ad huc

huc magis augeant. Et hanc ob caussam oeconomi animalia saginanda locis tenebricosis \*) includunt.

Si stimulus in corpore ipso est, aliis remediis, quod ejus fieri possit, v. g. remediis catharticis (quae etiam ad classem vel vim vitalem augmentum vel minuentium referenda sunt) tollendus est.

Si vero sola dispositio stimulos admittendi mutari aut penitus auferri debet: ea tantummodo medicamenta, quae in vim vitalem agunt, illud efficere possunt.

Ex hisce apparet, omnia remedia priori modo nutritionem adjuvantia, impediendo nempe, ut vis vitalis non tanta copia consumatur, remediis vel vim vitalem augmentibus vel minuentibus annumeranda esse.

### §. X.

MEDICAMENTA, QVAE IDEO NVTRITIONEM ADJUVANT,  
QVOD IMPEDITAM FVNCTIONEM DIGESTIONIS  
ET CHYLIFICATIONIS RESTITUVNT.

Nunc me converto ad remedia posterioris classis nutritionem adjuvantia, quae videlicet efficiunt, ut digestio et chylificatio re eius procedat.

Quod iterum dupli modo fieri potest:

- 1.) Hae functiones ideo impeditae esse possunt, quia actio organorum, per quae illae functiones locum habent, nimis aquila est.

\*) „Federviehhändler, die vveder raisonnieren, noch durch speculative Systeme irre geführt werden können, haben aus bloßer Erfahrung gelernt, daß, um Truthäner zu mästen, der kürzeste Weg sey, sie immer im Dunkeln zu halten.“ Cf. JOSEPH TOWNSEND'S Anweisung für angehende Aerzte etc. Aus dem Englischen von Michaelis. Bd. I. 1796.

est. Etenim cum ventriculus aut intestina nimia irritabilitate laborant, immodicus motus peristalticus oritur, quo cibi matutius in intestina crassa expelluntur, quam ex iis extracta fuerant, quae ad corpus nutrientum conducere possent.

Si actio organorum, v. g. hepatis, pancreatis, quae succos secernunt ad digestionem necessarios, nimis aucta est, isti quoque succi eam non habere possunt qualitatem, quam habere debent ad digestionem ac nutritionem adjuvandam.

Si vis vitalis glandularum et vasorum resorbentium ita aucta est, ut spastice contrahantur et praeccludantur, chylificatione rite procedere non potest.

Omnia haec medicamenta igitur, quibus ad hos morbos tollendos utimur, e. g. sales antiphlogistici, omnia remedia mucilaginosa et oleosa, uti gummi Arabicum, radix Salap, caetea tantum ratione agunt, ut vim vitalem organorum debilitent.

2.) Sed hae functiones alio quoque modo interrumpi possunt, cum nempe vis vitalis organorum digestivorum vel eorum, quae proxime ad digestionem pertinent, minuta est.

Si vis vitalis in ventriculo et intestinis non satis valida est, ea organa non ita actuosa sunt, ut cibi recte concoquantur, et ad chylificationem idonei reddantur.

Si actio organorum succos ad digestionem largientium infirmata est, succorum secretorum indoles non alia esse potest, quam talis, quae ab minuta hac actione processerit, mala scilicet.

Tandem, si vis vitalis glandularum et vasorum resorbentium tam exilis est, ut haec organa nullam aut parvam incitabilitatem habeant, neque facultate polleant chyli in se suscipiendi atque

atque ad loca ei destinata ducendi, chyli etiam resorptio defectu ut peccet, necesse est.

Quae omnes caussae efficere possunt, ut corpus parum nutrimenti capiat. Omnia vero, quae in his morbis rite adhibemus medicamenta, vim vitalem augment.

Hac enim ratione olea aetherea, extracta omnia amara, lichen Islandicus, vinum, caet. sunt emolumento, intemperiem scilicet organorum, quae ad digestionem pertinent, exaltant.

Ex his apparet, duas classes remediorum nutritionem adjuvantium existere, medicamenta nempe nutritionem adjuvare posse interdum vim vitalem augendo, interdum minuendo.

Quod vero non solum de hac classe medicamentorum (nutritionem adjuvantium), sed etiam de omnibus fere reliquis classibus valet.

Nam, si qua corporis nostri functio ob caussas debilitantes est minuta aut intercepta: facile est intellectu, medicum solummodo ope medicamentorum roborantium morbum sanare posse; sin autem interceptio functionis e caussis nimis excitantibus orta est: tunc ea remedia prodesse existimandum est, quae irritabilitatem deprimunt.

In omnibus itaque morbis corporis humani solummodo *tum* caussa, utrum sit e classe debilitantium, an excitantium, *cum* constitutio corporis, utrum antiphlogistica, an phlogistica, nos docere debent, quaenam medicamenta convenient, aut vim vitalēm augmentia, aut minuentia.

---

T H E S S.

## I.

Variolae artificio infisionis productae naturalibus variolis praefant.

## II.

Hinc, qui reipublicae praesunt, jubere possunt cives ut infisionem variolarum in iis, qui eas nondum passi sunt, instituant.

## III.

Morbi haereditarii utique statuendi sunt.

## IV.

Multi vero morbi, qui pro haereditariis vulgo habentur, ex simili vitae genere, quod proles ac parentes habent, deduci possunt.

## V.

Non omnis dysenteriae species una eademque medendi methodo sanari debet.


## VI.

Inde opium in unica tantum dysenteriae specie salutem certam promittit.

## VII.

Quod verum esse theoria demonstrat, praxis comprobat.

---



## TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

## TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007

A	1	2	3	4	5	6	M	8	9	10	11	12	13	14	15	B	17	18	19
---	---	---	---	---	---	---	---	---	---	----	----	----	----	----	----	---	----	----	----

